2398 No 9 Tract

ORATIO INAUGURALIS

HABITA

IN SACELLO COLLEGII YALENSIS,

QUOD EST

NOVO-PORTU CONNECTICUTTENSIUM,

IN NOV' ANGLIA,

VIII. ID. QUINTIL. M.DCC.LXXVIII.

QUUM, AUTORITATE SENATUS ACADEMICI,

EZRA STILES, S. S. T. D.

PRÆSES ACADEMIÆ EJUSDEM,

ET IN EADEM

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSOR;

PRÆPOSITUS ET CONSTITUTUS FUIT,

ORATORE PRÆSIDE.

HARTFORDIÆ:

TYPIS WATSONI ET GOODWINI.

M.DCC.LXXVIII.

ANNOQUE INDEPENDENTIÆ AMERICANÆ TERTIO.

The Authors ... from
to prevented a reasonable Cor-
of typographical Errors.
the Reader is desired to correct

BRITISH MUSEUM

ORATIO INAUGURALIS.

INEUNTI munus praesidiale, auditores, jure merito á me expectari videatur, ut de emolumento literarum, de officiis gerendis academicis, de optimarum artium studiis excolendis, deve ratione juventutis instituendae, vel denique de re graviori quadam, tum celebritate hujusce diei tum eruditorum auribus digna, oratio sit habenda. Hoc autem idoneum judico, quod ille, qui in arte aliquavis se praeceptorem profiteretur, ceu *Mathesi*, *Philosophia*, *Astronomia*, sive sublimioribus scientiis *Rei Medicae*, *Juris*, *Theologiae*, sive demum *Historia* et literis elegantioribus, is inquam, docendi munere incipiendo, cognitionis suae in ea quam profiteatur arte specimen publicè daret. Cum vero quis evocetur ad omnes intuendas artes et profitendas, ad institutionem juventutis generalem consulendam, ad cultum scientiarum universalium promovendum; illi quidem pariter incumbit, ut de universa literatura orationem sermonemve concionaretur. Itaque ut solennitati huic inaugurali deceat, Encyclopaediam scientiarum vobis coram proferre statuereque conabor: unde videatur quibus gradibus et quo cursu literario, ii, qui a primis

primis incunabulis liberaliſſimarum artium ſtudiis dediti fuerint, ad altiſſimas literaturae tum acquiſitiones tum dignitates aſcenderent.

Imprimis linguae *vernaculae* expolitioni incumbendum eſt. Pudeat enim ſuam ignorare, qui caeteris linguis edoctus pollet. Quippe cum theſauros cognitionis quis acquiſiverit, plurimum eos ſermone ſcriptioneque vernaculari deprompſerit et in vitae conſuetudine uſus fuerit. Itaque per totam diſciplinam juvenilem, orthographia, grammatice, critice excolendae ſunt: et in exercitiis urbane loquendi, et ornatiore calamo conſcribendi, academicos verſari oportet; aſſiduo conatu eos imitando, qui facundia ſuavi, urbanitate et lepore dicendi caeteris antecelluerunt. Adde huc enunciationem publicam ſermonum tum ſolutis numeris, tum poetice compoſitorum: immo praxin ſuper quavis re, ex tempore liberrimeque dicendi, non de ſcripto recitato tantum, verum de mente idearum plena, et veterum oratorum more enunciandi eloquendique.

Deinde linguis edoctis, *Latina*, *Graeca*, *Hebraica*, ſedulo elaborandum eſt. Priores aperiunt *hiſtoricos* antiquos *oratores* atque *poetas*, clariſſimarum rerum geſtarum rationes, eventuumque cauſas, rerum publicarum et imperiorum conſilia, politiarumque principia ſplendidiſſimarum. Quinetiam e conſuetudine doctorum virorum et uſu eventum eſt, quod plurimum a doctis latine ſcriberetur, e ſaeculo Caeſarum in hunc uſque diem: et eorum ſcripta, ope typographiae, inter omnes populos evulgata

gata ſunt. Unde fit, quod univerſa eruditio Europaea in immenſis voluminibus latinis congeſta refertur, et oculis conſpectuique literatorum ſubjecta et repoſta manet. Itaque haec lingua academicis Americanis commendari poſſit, ut copia verſaremur et varietate librorum, qui perplures ſunt quam ut vernaculi redderentur. Advenas omnium gentium, eorumque literas arteſque ſermone romano deſcriptas, coacervaturi ſumus in hoc Aſylo LIBERTATIS, amaeno, novis hiſce ſedibus florentiſſimae noſtrae *Reipublicae XIII. Statuum Foederatorum Americanae.* Orbis univerſi populos cunctas totius generis humani caraſque Adamidarum ſoboles, ceu fratres, in conſortio immunitatum civilium ampliſſimarum, ſocios nobiſcum avidiſſime cooptamus: ad nos autem adeuntes et iis pacem dicimus atque ſalutem, et libertatis dulcedine fovendos amplectimur atque fovemus. Dulce nomen fratris. Amicitia nos eremicolae ambimus fraterrima, fratres illos exules, omnium nationum tyrannidis ſive ſecularis, ſive eccleſiaſticae, vi ſaeva oppreſſos, depulſos, et ad hoſce fines terrae profugos; uti nos proavique olim beatae memoriae noſtri exulabamur---nec adhuc immemores crudelitatis qua quondam patria depellebamur. Neminem latet nos diſſitiſſimas haſce et incultas terrarum oras cultus purioris ergo conceſſiſſe, ideoque religionis cauſa nos exules eſſe, *penitus imo longe tota diviſos Europa Britannos.* Eſto, *ultima nos tellus ultimus orbis habet*; ſit nobis dulce ſolamen, nova novae tantae raptim oriundae rei initia, novas haſce exulum ſedes, noſtri jam alteram extitiſſe, et poſterorum fore patriam perennem atque cariſſimam. Exulum cordolia, et gemitus perſecutionis

nis ſaevitiam perpeſſorum expertorumque conſcientiae cauſa vincula, flagella, carceres, ludibria, letha, quinetiam effugentium *patriae fines*, ut virgiliane loquar, et novis ſedibus quaerendis, dulcia tam arva quam cognatorum amicorumque conſortia derelinquentium lachrymas, ſeveriores denique in eremo peregrinantium anguſtias, haec inquam omnia medullitus perſentiſcimus. Ideoque miſericordia generoſiſſima ſympathiaque tenerrima eos amplexamur paceque deoſculamur, patriam crudelem fugientes---- praeſertim literas ſuas ingenuaſque artes ſecum et virtutes nobis apportantes. Janua patet latinenſis ad exulum praecipuarum gentium europearum eruditionem : ad quarum in re literaria gazas detegendas, facilius una quam plures ediſcuntur linguae.

Graecae utique Latinae amaenitates et idiomatum venuſtates, in linguis tralatitiis omnino amittuntur nec niſi in originalibus autoribus percipiuntur. *Purius e fonte bibuntur aquae.* Ciceronis, Virgilii, Horatii, Tacitique flores latebunt ; Homeri, Iſocratis, Platonis, Thucydidis Xenophontiſque item latebunt, niſi ſuis linguis ii legerentur autores. Maxime autem intereſt univerſae eccleſiae *graecae* linguae cultus ad fontes aperiendos foederis novi ſacerrimos ſaluberrimoſque. Ne quiſquam igitur alumnus ex hac academia diſcedat oportet, quin prius graecum teſtamentum alibivis ad libitum legere queat. Ob eandem rationem, ut alma puritate ſua cognitio ſacra in eccleſiis conſervaretur, lingua *hebraea* Colenda eſt. Coelitus divinituſque data fuit hominibus. Oracula Dei, et glorioſiſſima Numinis

triuni

triuni mysteria consiliaque in ea retecta et conservata cernimus. Cuncta meletemata divina, cunctaeque veritates theologiae, hujus lumine dilucidius et percipi et explicari possint. Nimius forem, auditores, in laudatione linguae hujusce sublimis pulcherrimaeque, dignitate, majestate, sonituque illius canoro perculsus dulcedineque pellectus.

Huic affinis, seu potius *bath-kol* et filia vocis, est *Syriaca*; in qua primitus Novi Testamenti maxima pars vel saeculo apostolico conscripta, opinor, non translata fuit. Liberrime enim apostoli et syriace christianis palaestinis, utique caeteris graece reseripserunt. Magnae autoritatis igitur est testamentum Syriacum, immo mecum ejusdem ac graece scriptum. Res sacrae atque coelestes in nulla lingua cum tanta perspicuitate et sublimitate vel tradi vel vocitaripossunt, quanta in hebraea et dialectis inde scaturientibus. Quinimo Syriacae ope intelliguntur illustrationes *chaldaicae* targumim *Jonathanis* et *Onkelosi*; et arcanae occultaeque scientiae decem Saphirot cabbalistarum de numine summo, in *Zohare* reconditae, caeterisque autoribus vere digniſſimis.

Est etiam alia lingua nempe *Arabica*, inqua servatur literatura totius ferme Orientis; ideoque colenda foret, si incredibilis illa multitudo manuscriptorum typis mandarentur, indeque nos copia librorum tum *Arabiae*, tum et *Ægypti*, *Indiae*, *Persiae*, caeterarumque gentium orientalium suppeditaremur. Namque si operae praetium sit duas linguas emeritas et desuetas sapere, causa legendi centum plusve minusve volumna

volumina librorum (nec plura ab Athenis et Roma ad nos devenerunt) duarum gentium res continentium; quanto utilius et optatius, ex una lingua arabica congerere vel acquirere posse innumerabilium virorum eruditissimorum labores, europaeis in omni fere genere scribendi antecellentium, expolitiones suas literarias, poëfin heroicam et bella poemata hautaunganugim, consilia imperiorum, historias et vastissimam sapientiam omnium pene orientis gentium et orbis ipsius antiquissimarum. Namque hocce idiomate et *Armenico* libere ubicunque scribitur nuperioribus saeculis a *Syria Gangem* usque et ultra. Ibi thesauri cognitionis ditissimi amplissimique ab oculis Europaeorum, in commentariis hac lingua adhuc celati latent. Saecula recentiora sive hodierna, in nulla re ad literas humaniores attinenti, antiquitati praecelluerunt, praesertim antiquitati orientali: neve saecla vetusta a recentioribus ullatenus superata sunt, nisi in *Philosophia experimentali*, in *Electricismo*, et in Newtonianis *Optices et Astronomiae* scrutiniis et investigationibus. Haec de linguis.

Praetermitto *Arithmeticen*, *Algebram*, *Geometriam*; praetermitto *Geographiam*, *Logicen*, *Rhetoricen*, aliaque leviora studia, tametsi ad majora perneccssaria: haec dico praetereunda sunt, dumodo rebus sublimioribus *Matheseos*, *Philosophiae* naturalis, et *Astronomiae* adverto. Mira sunt et summorum acumine acieque ingeniorum digna, ratiocinia et inductiones mathematicae, circa doctrinam fluxionum, Pythagoraeque theorema, planae sphericaeque trigonometriae applicationes in parallaxi solari et distantiis aspectubusque

busque planetarum mensurandis. Mira delectamur voluptate pulcherrimis sectionum conicarum rationibus perspiciendis, proprietatibus *ellipseos*, *paraboles* et *hyperbolae* eliciendis. Quarum figurarum mira utilitas est, in motubus coelestibus, et planetarum orbitis et praesertim trajectoriis cometarum definiendis. Plurima Dei opera pondere numero et mensura conficiuntur, et haec in iisdem ubicunque cernuntur. Unde ii, qui physicis incubuerunt semper numerorum et figurarum geometricarum rationibus usi sunt; nec nisi hujus artis ope, phaenomenis philosophice explicandis omnino valerent.

In *philosophia naturali* primo edocemur virium mechanicarum rationes dignoscere, investigareque leges motus tum simplicis compositique, tum corporum curvis moventium, sive projectilium sive oscillantium sive forte revolventium. Stupendam vim *gravitatis* contemplamur et tres leges demirandas illius (si forte leges dicerentur) de vi adaugenda centrum fontemve gravitatis adeundo, indeque recedendo diminuenda; uti corporum cadentium acceleratione et sursum redeuntium retardatione, temporibus quadratis proportionali innotescat: de revolventium rationis sesquiplicatae nobili theoremate: et tertio, de arearum temporibus proportionalium descriptione adaequali. Tribus hisce legibus sive principiis cuncta pendent gravitatis philosophemata.

Insalutata multa praetereo. Perutilia sunt experimenta physica in *hydraulicis* et *hydrostaticis*, de pressura laterali non quantitati sed altitudini fluidi

incumbentis proportionali, de frigore atque calore, de igne culinari, de aquis mercurio, oleis aliis fluidisque ebulliendis item atque gelandis, de corpusculorum attrahentium vel repellentium vi excitanda et supprimenda, eaque augenda ad libitum minuendave.

Caeterum aestuum causae sive fluxus maris atque refluxus clare explicantur, idque vi solis et lunae in fluctubus aequoris, in aquis oceani elevandis et accumulandis, certo scimus accurateque mensuramus. Dulce studium *historiae naturalis* est, tum animalium maris telluris, aerisque, tum vegetabilium ratione *Linnaeâ* perquisitorum, tum mineralium, fossilium, ferri arenarii petrefactionum, dendritidum, asbestorum frustorum ligneorum phlogisto suo privatorum, arborumque terra defossorum ramis plane lutescentibus immo more argillaceo jam lutefactis, aliarum denique transmutationum tum naturae tum artis innumerabilium. Tellus aere circundatur, cujus fluidi mirabilia sunt phaenomena et proprietates, quae *barometro*, *thermometro*, *hygrometro* aliisque instrumentis mechanicis et percipiuntur et ad amussim mensurantur. Ex aeris elasticitate, corpusculorum calore excitata, suscipimus solutionem tum rarefactionis aquarum et nubium elevationis, tum pluviae, nivis ventorum typhonumque, tum denique phaenomenorum atmosphaerae praecipuorum.

Perjucunda mihi semper fuit et scientiae naturalis pars bella quaedam atque gratissima, *opticês* theoria et philosophia lucis. Lynceа illa et vere aquilina *Newtoni* acies ipsissimum fontem luminis tentabat

et

et intuebatur. Priſmatis auxilio mediorumque pellucidorum denſitate et figuris diverſorum, leges ille refrangibilitatis radiorum deoperuit: et exinde colores ſingulos quoſque totius columni lucis, pro eorum refrangibilitatis gradu, tanquam in arcu coeli variegato, nitidiſſime depingi, et ratione harmonica ſeu muſica projici et diſpertiri aſpexit. Haec et alia pene innumerabilia et pulcherrima et utiliſſima in lenſibus, ſpeculis, et perſpectivis, et in tota philoſophia lucis, ſagaciſſime inveſtigavit ille et in libris ſuis edoctis dedit.

Ultimam partem philoſophiae naturalis ſaltem noviſſimam *electriciſmum* exiſtimo. Frictione electri, vis ut attractiva et luciditas cierentur, veteribus innotuit. At plurima mirabilia phaenomena, ut magnetiſmi, fic hujuſce quaſi novi vel potius cogniti nuper fluidi elementaris, phialis *muſchenbroeckianae* experimentis edita, adhuc tenebris celata latuere, nullorum ingeniis vel acumine philoſophantium ſolvenda, donec tandem clariſſimi Franklini theoriae ratiociniis et ſolutionibus feliciter explicata, propalam oſtenſa, et ad omnium eruditorum tum approbationem tum admirationem illuſtrata fuerunt. Ille fluidi electrici energiam et ſtupendam vim legeſque philoſophice explicuit et demonſtravit. Aurorae borealis forſitan nocturnorumque fluctuum luciditatis, quinetiam phoſphori, cicindelae, et aliorum hiſce ſimilium naturae phaenomenon ſolutio philoſophica inde exoriatur. Quemadmodum revelata Newtono a caelo principia gravitatis occulta, ita Franklino principia electriciſmi arcana retegebantur. Et ille laurea

laurea philoſophiae dignus et hic; uterque principes inter philoſophorum famae florentiſſimae princeps. Philoſophi autem electrici in hac diviſione ſcientiarum ratiocinia ſemper demiror. Attoniti miramur omnes inventionem ejus caelitus datam. Fluidi electrici e terra libere nubibus transferendi retrove dehauriendi, ad tremenda tonitrua caeli fulguraeque excandeſcentis vim faeliciter evitandam, metallicarum ope virgarum illius cuſpiditarum!

Ne diutius morer, a *philoſophia* ad ſcientiam illam ſublimem coeleſtemque *aſtronomiam* progredior. A phyſicis eam ſecerno et ſeorſim pono. Hujus auxilio coelum ſcandimus, hujus ope via patet ad aſtra. Inter ſidera elevamur altoque ſedemus et longe latiſſimeque circumſpicimus; interque ſyſtematis ſolaris phoenomena contemplamur revolutiones planetarum orbibus ellipticis ſolem circumgyrantium, idque ſecundum leges naturae ſtabilitas, pro ratione arearum et ſeſquiplicata ratione kepleriana. Item eclipſes ſolis et lunae et ſatellitum concinne numeris redactas videmus. Siderum errantium ad ſtellas fixas appulſus, proceſſus aequinoxialis, anni platonici exactio parallaxis annua, lucis aberratio *Bradleiana*, cuncta haec lineis et numeris definiuntur. Tranſitum Veneris 3tio Junii 1769, centum annos praedictum, calculo aſtronomico tam accurate deſcriptum novimus, ut cum incredibile voluptate, cum ſumma admiratione, imo cum extaſi mentis jucundiſſima, ego ipſe venerem ſolis diſcum intrantem vidi, vel in ipſo fere momento temporis praedicto, etſi expectans, tamen attonitus attingentem et laetabundus

bundus aſpexi. Exinde ſolis parallaxis ad exactiorem amuſſim definitur. Ad perfectionem ſane mirandam theoria motuum coeleſtium et orbitarum elementorum planetarium perducta eſt. Haec omnia plurimaque circa orbitarum elementa futura praeteritaque inde exorientia phaenomena ab hac arte doctis aſtrorumque peritis, accuratiſſime numeris abſolvuntur. Porro cometarum ſemitas inveſtigamus longiſſimis trajectoriis procurrentium et revolventium, quorum extremitates curvis a parabolis aliquantiſper immutatis formoſiſſime definiuntur. Namque cometae, tramite quamvis vago oberrantes viſi ſunt, orbibus tamen regularibus numeriſque ſubactis moveri, et ſeſe inter atque planetis ſalientes pulcherrime inveniuntur. AEthere ab alto ſolem verſus deſcendentes, perihelia ſua inter fulgores ſolis ſplendidiſſimos feſtinatione rapidiſſima pertranſeunt, indeque aſcendentes procurrunt ad aphelia altitudinibus profunditatibuſque coelorum remotiſſimis poſita; aphelia imo alia juxta vicina cometarum aphelia ſyſtematum caeterorum longe diſtantium appropinquantia. Procurrunt enim nonnumquam ad longinquitatem diſtantia ſaturni decuplo majorem. Itaque neceſſe ſit ut ſyſtema quodque ſpatium coeli ad bis ſeptem mille milliones uſque, vel quatuor decem centenas mille myriades milliarium poſſideret. Quam immenſa igitur univerſitas iſta, cujus millies millia ſyſtemata eo longe a ſeſe poſita collocantur.

PRAETEREA mira hac arte aſtronomica (tantum enim ſcientiarum artibus liberalibus ineſt artiumque ſcientiis,

ſcientiis, ut hae et illae ſaepe et altera vice alterius, per belle appellitantur) arte, inquam, atque aſtronomiae pennis evecti, ulterius et ulterius et ſublimius aſcendimus; et in aſcendo, nova coeli penetralia panduntur, et in ſpatia infinita quaque verſum immenſitatis, audacter noſmet proruimus: donec copia mundorum et ſyſtematum innumerabilium circumfuſi atque tandem quaſi amiſſi, cives ſimus, non unius loci non planetillae cujuſdam vel globuli terrae minutiſſimi, ſed auguſtiſſimae civitatis Dei, *Beni medinoth haaelohim anochnu*, domique ſumus ubivis et ubicunque per non menſuranda ſpatia, fratreſque evadimus vere architectonici liberique inter coelicolas ſtellarum totius immenſitatis ampliſſimaeque rerum univerſitatis! O cives! O filii libertatis, terque quaterque beati! Qui itineribus celeriſſimis hiſce coeleſtibus tranſvolitantes, ſpectatis magnalia et mirabilia Dei, viſitatis mundos ſupermundos, orbes orbibus ulteriores ad infinitam (ſit venia verbo) ulterioritatem. Et dummodo in recedendo hi, ut in ſomnio *Scipionis*, diminuuntur, ita illi appropinquando adaugent et in ſoles et mundos effulgent.

Ne ſphaera fixarum, ut viſum eſt, circa axem poli revolvit. Tellus, non coelum neve ſol neve ſidera movent. Si annua *Sirii* parallaxis *Orionis* vel *Aldebarani* minutis conſtet ne quinquaginta ſecundis, diurnus, eorum orbis magnus, ingens eſſet et vere magnus, eo quidem ut a celerrimo radio lucis non annis 40 per curreretur; etſi octo minutis a ſole lux terram uſque propagetur. Quoniam igitur diurna unius globi revolutione (quae alias item demonſtratur)

monſtratur) omnia ſolvuntur; quiſnam credere poſſit, quod revolutio ſtellarum ſuppoſititia uno et ſingulo quoque die exigeretur, quae velocitate lucis ne annis 40 finiretur! Credat vulgus, credat et Judaeus Apella.

Ideo contemplamur, auditores, pergrande ſyſtema ſolare noſtrum, cum ſex planetis et eorum ſatellitibus et forſan quinquaginta cometis conſtructum et ornatum; ſiderumque fixorum ſyſtemata innumerabilia; quae omnia, gravitatis vi in pulcherrima harmonia ordineque grandiſſimo conſervantur. Quorum ſpectaculo ſublimi quis non commovetur? quis non attonitus ſummeque delectatus conſpectu formoſiſſimae totius univerſitatis ſtellaris, tum ipſius varietate tum venuſtate et magnificentia! Quis non in eo videat Numinis ſummi veſtigia bonitatis, ſapientiae, omnipotentiae? Quippe quot ſidera coeli, eadem ſpectamus tot ſoles ſyſtematibus ſuis, huic noſtri ſimillimis, circundatos, eorumque incolas illuminantes regentes radiis jubaribuſque benignis refocillantes: ſoles hoſce cometas item, utique planetas primarios ſecundarioſque, tot ego incolarum domicilia exiſtimo, et intelligentium habitacula, Dei majeſtatem colentium et venerantium et benignitate altiſſimi perpetuo jubilantium. Mira voluptate quondam ſtudiis ego hiſce ſuaviſſimis ampliſſimiſque verſari, et priſtino meo more dicendi inter parietes hoſce academicos eadem orationibus olim decantare ſolebam. Horum ſtudiorum et cognitionis hujuſce dulcedine capti, et illius idearum magnitudine et copia perfuſi, omnia vidimus Dei ter. opt. max. numine

mine plena; vidimus immenſam hanc pulcherrimamque univerſitatem rerum, opus extitiſſe ſummi architectonici et opificis divini arte elaboratum! Quis auguſtas haſce ſublimitates contemplari queat, attonitus quin demum viſu magnificentiſſimo, rapſodia clamaret. *O quam mirabilia ſunt opera tua, Domine; ſapientia et venuſtate ſummâ omnia confeciſti!*

Magna dixi, auditores, ſed majora dicendi reſtant namque ſplendor magnitudo venuſtas orbis univerſi ſtellaris, immenſitati ſplendoribuſque univerſitatis hierarchicae caeleſtis, nullomodo ſunt aequi parandae. Pedibus ergo in ſtellas fixas poſitis, tranſiliamus in coelos empyraeos, ibique ontologiam ordinum altiſſimorum contemplemur: cum innumerabilibus entium ſpiritualium myriadibus verſemur licet et verſaturi: caetum eccleſiae triumphantis animorumque Jesu ſanguine redemptorum redimendorumque; quinetiam caetus infinito majores: et numeroſiores ſublimioreſque ordines intelligentium, rapti viſione coeleſti viſitemus: perbeatos hoſce omnes conſpiciamus regimine Dei perfectiſſimo gubernatos, ſancta illius ſimilitudine expolitos, et beatitudine perenni gloriatos ſempiternaque egloriatuſos. *Paulus* caelitus edoctus *Dionyſio* ſuo explicuit patefecit et edocuit, triuno Deo tria ſubeſſe ternaria novem ordinum angelorum et ſeraphim, qui cum cherubinis thronum omnipotentis agglomerantur, ſemperque gloriae divinae jubaribus ſplendoribuſque irradiati elucent. Hi filii lucis aeternae amore ardoreque ſeraphico correpti, canoris quaſi coelitum vocibus, ſuaviſſimo et altiſonanti ſymphoniae

univerſalis

universalis susurro, autori *pantos tou kalou tagathou* laudes hymnosque cecinisse gestiunt, neve decantare cessabunt.

Haec est verissima *metaphysica* et *ontologia* caelestis. Physica est entium materialium, metaphysica spiritualium cognitio, et intelligentium innumerabilium perlustratio idealis. Eorum naturas vires affectus et facultates percipiendi agendi fruendi, eorumque sanctitatem, *vadamutihem bezalem haaelohim*, vastissimam denique universae perfectionis aeconomiam, attoniti intuimur. E conspectu ideali cunctorum entium creatorum et universitatis totius monarchicae reipublicae glorioſissimae sursum tendimus, et ordines transeuntes innumeros gressu pulcherrimo sublime ducimur, donec itur ad thronum, donec ad sedem Omnipotentis adducimur, omnia qui condidit regit atque gubernat: quique benignitate et praesentia sua universali omnia permeat beat atque beabit. Oculis puriſſimae fidei (vel dicam visione beatifica) sanctissimum Jehovam triunum Deum O. M. majestate veneranda et auctoritate vestitum, ad summitatem rerum sedentem, cunctaque nutu suo regentem, adoratione gaudioque ineffabili contemplamur. Monadis divinae gloriarum, numinis utique filialis cognitio, est vita aeterna; quia cognitionis hujusce perceptione insit et vera vitalis, amor et sanctitas et beatitudo. At finis ultimus creationis non est creaturarum, sed Dei gloria---gloria creaturarum in gloria Dei---gloria Dei, non malo morali efficiendo, sed e sanctitate et beatitudine elicienda oboriens et oritura; ut videat siquis et apostolo et areopagitae

conſuluerit. Namque ideirco Deus creavit ut propalam et videret et ejus alioquin aeterno celandas perfectiones ad ſui ipſius gloriam efferret. Ex cognitione Dei theoretica ampliſſimoque univerſitatis conſpectu, progrēdimur ad conſilia divina conſpicienda; quae unica ſunt, ſi *una univerſitas ſola ſit poſſibilis*. Concilia Dei atq; voluntas utique lex ejus et ipſe, tum ſimilia tum eadem ſunt. Conſilium ineunti creaturo Deo unicum tantum occurrit omniſcentia ſua comprehenſum ſyſtema mundi; nec alterum neve ſecundum vel datur vel dari poſſit. Plurium, de quibus ait poeta, *ſyſtematum poſſibilium* nulla datur optio, ſi unum ſolummodo ſit poſſibile. At ſine ulla credo dubitatione, quod omnia ſyſtemata ſuppoſititia, unico excepto, ſe condendo, pugnantibus inconcinnitatibus, et mole ſua funditus irruerent. Unum igitur eligendum reſtat, ſive potius decernendum: idem Deus decernebat, idque ad minutias rerum decrevit, ſtatuit, praedeſtinavit, ab aeterno ordinavit: niſi abſque propoſito et ſine ulla intentione conſiliove regulari Deus ſyſtema tum morale tum naturale creavit, caſuque illud cum tanta amaenitate, tanta pulchritudine et harmonia fortuito condidit. Sed procul dubio ſchemate perfectiſſimo creatio condita fuit: et hoc juxta euncta evenerunt et ſemper eventura ſunt. Si unicum illud ſchema divinum perceperimus ſtatim et voluntatem et unicam immutabilemque legem Dei noverimus, et jus illud univerſum unici, ut ſaepe dixi, ſyſtematis poſſibilis. Unicum idearum divinarum ſchema, ſi tanquam morales perfectiones, voluntate divina pendere judicetur ita fit quia hae veritates aeternae ſunt ipſe Deus.

Deus.---Conſilia Dei ſunt Deus. At ſicuti neque hiſce perfectiones ita ne quidem illud ſchema alias velle poteſt. De ſui ipſius eſſentia Deus, exiſteret necne (pavore verecundo et humilitate venerabunda haec altiſſima dicerem) utique perfectionibus et conſiliis qua perfectiſſimis, alias vel ſentire vel velle potentiſſime nequit, potentiſſime non poteſt. Conſilia nobis haec partim innotuere, partim vero abdita latent. Attamen veritates altiſſimae et columnaria ſyſtematis hujuſce moralis principia nobis patefacta ſunt; AMOREQUE DEI nec in coelis ſublimiora inveniuntur neque diviniora. Quemadmodum gravitas in ſolari, ſic in morali ſyſtemate AMOR, lex eſt univerſalis. Voluntas ſive arbitrium Dei eſt jus cui mores intelligentium efformandi ſunt: hic amor eſt ſpiritus actiones vigore ſuo characterſque recte efformatos vivificans; eſt illa vis gratuito renovatis animabus inſita noſtris, et nos intus energia vere vitalis atq; divina. Haec de ſcientiæ metaphyſicorum ſublimitatibus.

HAC *lege* et haec intus ſuaviter impellente *vi*, *praemüſque* poſitis, ex hiſce tribus, inquam, oboritura cernitur *ethica*, ars illa diviniſſima recte pie beateque vivendi. Dei gloria, et felicitas tum humana tum univerſalis, item, Emolumentum publicum et ſui ipſius (ratione cujuſvis entis aeterna habita) nullis unquam diſſidiis inter ſe pugnant, ſuaviter autem coincidere harmoniaque amiciſſime ſemper uniri judico. Ne morer, *philoſophia moralis* edocet quomodo inter homines verſaremur, cum juſtitia et benevolentia moribuſque ad normam ſubactis veritatis atque

atque virtutis; utique Deum cultu diviniſſimo veneremur. Quinetiam ut pietatem et ſuaviſſimos jucundiſſimoſque mores, (eoſdem ac ſuperi praeſtant et iiſdem animati principiis et ineitamentis terris etiam) exhiberemus. Ideoque virtus, Dei amore condita, fit demum pietas atque religio. *Amor Dei et proximi*, autore Ieſu divino, totius juris divini eſt ſumma et elenchus, etiam apex coronidis ſcientiae ſublimis venuſtiſſimae. Namque per amorem proximi et probitatem ſociorum et confratrum entium conſortio perenni habiles aptamur. Et amore Dei extatico (ut ideis *Areopagitae* utar *Boyleique* ſeraphici) e nobiſmet quaſi egredientes, ad ſummum bonum aviditate elevamur, et gaudio ineffabili provehimur, ſuavitate gloriaque illius abſorpti, dulcedine bonitatis ſupremae demulcemur, donec *ne diutius noſtri ſumus, ſed alterius*, vel numinis illius praecellentiſſimi, dulciſſimo cujus amore captamur. Indeque fimus, inquam, ne diutius noſtri ſed alterius illius a nobis amati; neque nos amplius noſtra ſeorſim reget ſeparata voluntas; quoniam mutua amati et amatoris intemerata fide, juſſi deinde loco et lex erit nobis amati noſtri ne unquam poſtea violanda voluntas praeſertim cum perfectiſſimam eam eſſe ſentiamus. Vita divinae ſuavitate adducti et illius praemiorum ſpe indubitata ſuffulti, ii qui ſe Iesu dediderunt, piae curriculum vitae cum patientia et fortitudine imo gaudio et alacritate expediunt et proſequuntur. Datur amor ſenſitivus tum hominibus tum animalibus communis; ſed iſte non eſt virtus. Eſt praemiorum ſive boni collateralis deſiderium et oblectatio, quae cum nullo licet amore quin ſaeviſſimo ſaepe odio benefacientis

nefacientis conſtat; neque virtus illico. Impii enim et ingrati et omni virtute carentes, Amant bona ſpargentem Deum; dummodo terrore majeſtatis ejus expavefacti, eum magnopere veritant, et *qua ſanctum* ne omnino amant; quin ſeſe intus fortaſſe fideliter perquirentes, ſe tandem illum odiſſe omnes reperire poſſent. Vae miſeris optimi numinis amantiſſimique oſoribus! Quantumvis incredibile dictuque horrendum, tamen patet, imo funeſtiſſime patet, homines nonnunquam in averſatione Deum et in odio habeant: ſicuti dixit Ieſus, *et Patrem et me vidiſtis et odiſtis.* Homines ne amare, minime ſemper eſt eos odiſſe. Aſt ne deamare Deum, eſt Deum odiſſe.

Redamatio mutua vel ab amato deamari conſummatio faeliçitatis eſt. Dodi li veani lo rongeh baſoſannim, *dilectus meus mei eſt, et ego illius, inter lilia inter puras verſatur animas* et amantes ſui et a ſe mutuo deamatas: ut apophthegmate poetico affatur blandiloquus ad ſponſam ſponſus Ieſus, *utique verus quivis amicus amicus.*

" Alter ego niſi ſis, non eris mihi verus amicus
" Ni mihi ſis ut ego, non eris alter ego."

Conſummatio felicitatis eſt. Eſt autem genuina virtus, eſt puriſſima pietas *Deum qua ſanctum* amare, illum *noſmet redamantem, necne.* At nondum perficitur amor, priuſquam noſmet *a Deo deamari*, vel Deum noſmet diligentem ſentiamus. Sic Deum amamus ob perceptam excellentiam ſanctitatem gloriam: eum quoque amamus praemia virtutis aevitena ceateraque pignora benignitatis ſua largientem: porro

porro ſumme illum amamus *ſemet ſuis dando* in diviniſſima ſua revelatione gloriarum ejus ſanctiſſimarum, beatorum animis conceſſa, mentibuſque imagine ſua delibatis: hac revelatione conſtat ſuperorum beatitudo coeleſtis: et in terris quoque revelatarum lumine gloriarum ejus lucidiſſime Deus ſe amatoribus ſuis ut eos redamantem oſtendit; quippe hoc ſaegolatum pignus, ſuaviſſimae diviniſſimaeque amicitiae arrhabon, niſi ſaegolatis praebetur, idque ut exinde ſe filios certo autumarent certoque ſentirent: Super his conſuluiſſe libeat *Auguſtino* ſeraphico et ſuaviloquo *Bernardo* claravallenſi de amore Dei: prae omnibus vero ne theopneuſtois autoribus, conſulere libeat Aquilae theologo de divinis nominibus *Dionyſio Areopagitae*; pater qui ille non ſolum inter patres apoſtolicos venerandus, quin et ſemper pater inter patres et theologos orientales, pater etiam theologorum undecimi et inde ſeculi latinorum, theologicus demum pater ille et *Bernardi*, et *Aquinatis* angelici, et *Calvini*, caeterorumque de proſapia *Alberti* magni ſcholaſticorum, qui optime de rerum divinarum ſublimitatibus docuerunt et ſcriptitarunt; cum nondum adhuc puriſſimus fidei fons a *Scotiſtarum* ſubtilitatibus polluebatur. Haec de *ethica* et *philoſophia morali* dicta ſunto.

QUINETIAM curſu academico peragendo *hiſtorias* omnium gentium evolvimus, et earum politias et geſtas tum *bellicas res* tum *civiles* tum *religioſas* perluſtramus; *vitas* etiam magnorum et ubivis orbis virorum illuſtrium, qui in omni genere laudis prae ceteris eminuerunt. Operae pretium fuerit *Biographiam*

am legendo diligenter adnotaſſe ingenia, virium cultus, aſſiduitatem agendi, conſilia et vitae rationes, etiam ſagacitatem occaſionibus temporum arripiendis, impedimenta honoribus ſive facilitatem conſcendendis, et acquirendis et ſuſcipiendis vitae dignitatibus, utrum pecunia ſint et repetundarum vi, an blanditiis inhoneſtis et aliorum officiis adeptae, ſive proprio marte benevolentia et probitate partae? An homines diu virtute ſepulta celati tandem in lucem evocati fuerint; vel quivis perfas et nefas ambiendis honoribus, diademata, ſedes, dignitates, proemia non ſua rapuerunt? furtimve direpta tenuerunt? quibus praemiis denique quove dedecore honeſtatem virtutem veraque merita remunerarier viderimus. Adde quod ſubſecivis horis, *muſica poeſi*, compoſitione *dramatica*, politioribus *belliſque literis*, omni modo demum eruditionis ornatu, ingenia juvenum et exornanda et polienda ſunt. Hiſce ſcrutiniis ſimilibuſque exercitationibus peractis, et finito denique quadriennali curſu academico, e ludo gymnaſtico, ſcientiis liberaliſſimiſque artibus imbuti, devenimus, devenimus ad agendum accincti, irruimuſque foras, vitae publicae ſcenis et utilitatis conſuetudine verſaturi. Primis autem labiis tantum literaturam adhuc attigimus, fundamina eruditionis tantum jecimus et adhuc poſuimus. Reſtat ut aſſiduitate diligentiaque ulteriori, noctes et dies bonis hiſce inceptis ſtudiis hiſce liberioribus perficiendis elaboremus, ſi elucendi gloriam tandem attigiſſe velimus. Ut ait Horatius,

"Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
"Multa tulit fecitque---ſudavit et alſit."

MAGNA

MAGNA praeſtantiſſimaque eruditio, niſi magnis arduiſque laboribus acquirenda eſt. Nemo aliis praeſtabit, nemo caeteris literarum gloria antecelluiſſe valebit, niſi quis lampadem nocturnam emunxerit, nec invita minerva ſed ingenii quodam oeſtro pellente, ſtudiis ſeveriſſimis et penitus et diu deditus fuerit.

POTERAM iis, auditores, quae retuli eſſe contentus, ſed alia ſuſcepto operi neceſſaria meo ſuperſunt. Nec adhuc colophonem literaturae appoſuimus. Itaque triplicem ſcientiarum coronidem vobis eoram praeſentabo, ex altiſſimis illis provinciis generibuſque doctrinae deſumptam, MEDICINAE ſcilicet JURISPRUDENTIAE, THEOLOGIAE; ut cuncta videatis academicae exercitia palaeſtrae, quibus homines, inſtituti domum atque ornati, inter literatos orbis, inter optimates gentium, et inter lumina mundi eminentes, cum dignitate et utilitate efflorean̄t.

NOBILIS ars illa AEſculapiana, a MEDICINAE ſtudioſis trifarie comprenſa ſit, in *anatomia*, *materia medica* et *arte medendi*. Qui medicae rei ſtudia excolere vellet, is primo anatomiam penitus pernoſcat oportet. Oſteologia, myologia, ſyſtema vaſculare, tela cellularis, ſanguinis circulatio harvaeana, diaſtole ſyſtoleque cordis, ductus panereatici ſecretiones, breviterque quaecunque ad corpus animale attinent et phyſiologiam, clare perſpicienda ſunt. Materia medica, optime pharmacopolio et facilius quam in libris, ediſcenda eſt. Huic referuntur *pharmaceutice*, *chemia*, *botanice*, *hiſtoria naturalis*. Tertio, morbarum naturas

naturas ſive patheologiam, artemque medendi ſtudeamus oportet. Ars medendi ſalubribus medicamentis adhibendis partim, partim operationibus chirurgicis in omni varietate praxeos conſtat. *Hippocrates*, *Cowperus*, *Albinus*, *Sydenhamus*, *Medus*, *Boerhaavus*, *Savanarola*, *Hallerus*, *Heiſterus*, *Plinius*, *Linnaeuſque*, ſcriptores in hoc genere doctrinae, et artes ſalutari inſignes extiterunt. Hoſce, quos ego qua philoſophus, pluresque, quam legi innumeros, inter ſcriptores cenſeri celebriores, hujus artis amatores bene norunt.

Qui Jurisprudentiam avet, et rationis *juriſve naturalis* principiis prius imbutus, is ſedulo *hiſtorias* evolvet et *Angliae* et nationum vicinarum, quarum dominio et legibus Britannia ſaepe ſuccubuit; ideoque *juſgentium* animadvertat. Antiquorum videat *Britonum* ſiqua juris veſtigia maneant. *Anglo-Saxonum* et *Normanorum* legeſquoque videat. Videat immortale illud opus *Alfredi*, localium conſolidationem conſuetudinum juridicalium et diverſarum regionum legum municipalium, in unum *communis* ſyſtema *juris*, et ad uſum totius heptarchiae digeſtum generale. Videat itidem quantum juris *feodalis*, *civilis*, *canonici* in juriſprudentia publica uſpiam gentium, ſive conſilio ſive armis ſive fraudis vi furtim obrepſerit. Eum in finem, dummodo variarum gentium *Europae* inſtitutionum juralium commentarios ſummatim pervidiſſe juvabit, *juris civilis* lectioni quoque aſſideat. In *pandectis* animadvertat diligenter tyro juralis *jus vetus romanum*, puriſſimum ubi fuit, cum Senatus autoritas nondum edictis Caeſareis evertebatur; de-

inde conſtitutiones vel jus imperatorium dignoſcat; adauctum denique *juris canonici* et *pontificialis*.

QUEMADMODUM in *Talmude* ſyſtema ſervatur juris hebraei; doctiſſimis ita laboribus Trebonianis, *Juſtiniani* juſſu peractis, univerſa juris prudentia civitatis *codice*, *inſtitutione*, *pandectis* atque *novellis* et traditur et conſervatur. Jus autem *eccleſiaſticum* in immenſis tum *conciliorum* tum *decretalium* voluminibus refertur. Libeat quoque neque juriſtis inutile fuerit, ſummatim perſpexiſſe quanta vi valuit *lex imperialis*, et quantopere provinciarum regnorumque ſubactorum juris prudentias originales ſive immutavit ſive forte ſecum immiſcuit. Rebus *ſacris* eccleſiae occidentalis quondam ubique valuit; *civilibus* quoque omnino uſque ad ſecula noſtra in *Italia*, *Venetia*, *Hiſpaniis*, mitiore vi in *Gallia* et *Germania*, minima in *Anglia*, beato nonnunquam libertatis nuper proſtratae aſylo. Adde quod imperio romano everſo et vi legis labefacta, ſtudium vetuſti juris evaneſcebat, et quingenti annorum diſſuetudine pandectae ipſae amiſſae, donec eruinis ruderibuſque italicis (ut *Livius*) recuperatae, iterum in juris conſultorum officinis et in academiis recolebantur. Deinde inſtitutio juralis antiqua reſtaurata inolevit, veteriſque principia legis ubique percrebuerunt, et in juris prudentia Europea generali quodamodo ratione mixta denuo viguerunt, et adhuc vigent. Quatenus in legibus Britaniae, ſive jure maritimo aliove irrepſerint attente videatur. Haec de legis legum ſtudiis.

PRAETEREA

PRAETEREA animadvertant juvenes, quatenus *leges Anglicanae* adoptive inter nos, ſive uſu diuturno et conſuetudine ſive ſenatus noſtratium conſultis, ſtabilitae, ſtatuum foederatorum leges iniverunt. Quinetiam juris Anglicani *communis atque ſtatuti* grandia nobiliſſimaque principia, et ratiocinia judicum reverendorum doctiſſima perſpicere utile foret; *narratas item cauſas* ſive actiones tum candide litigatas tum juſtiſſime in tribunalibus dijudicatas *Weſtmonaſterienſibus*; antea cum nondum jus Anglicanum, auguſtiſſima illa ſapientiae antiquae ſtructura juralis, judicum venalium arbitrio funditus nuper everſum, novis tandem interpretationibus juridiciis et deciſionibus corruptum autocraticis *Mansfeildienſibus*, axiomatibus quibuſdam *Scoticis* interjectis, tum a norma JUSTITIAE magnae tum Anglorum LIBERTATIS olim ſtudiis amoreque abhorrentibus.

HISCE cognitis deinde *juris Anglo-Americani* ſtudiis literiſque incumbendum erit; et ſingularium XIII. rerum publicarum codicibus, ſenatus-conſultorum tomis, legibus item ſive non ſcriptis ſive ſcriptis, conſuetudinibus publicis ad vim legis inoletis pernoſcendis, praxi uſuique *fori judicialis* ſtudiis denique omniſairiis, quorum ope et auxilio procuratores et *cauſidici*, res ſuas et clientium curare et eaſdem cum laude et emolumento agitare poſſint.

HAC ratione ſtudiorum cognitio legum noſtrarum nunc elicienda eſt; donec poſtea genius magnus quidam juralis extiterit, quidam ſive *Bractonus*, ſive *Fleta*, *Baconus*, *Cokeus Seldenuſve* e nobiſmet exoriturus

exoriturus ſit, qui mentes *Trebonianae* acumine doctiſſimo, acerrimique ingenii vi et cognitionis vaſtiſſimae autoritate, omnia digeſtis perſtrinxerit: extiterintque ii ſive J. CONSULTI, ſive judices caeterive eruditi juris atque periti, qui narratas actiones forenſes dictaque judicia, libris commentariiſve mandata tradiderint.

QUI vero mediocritate ſtudiorum teneri noluerint neve forenſi uſu contenti, ſiquidem filii ſcientiae audaces, ſive ſuavitate literarum noſcendique cupidine capti, ſive fructus petentes uberiores in ambiendis honoribus opibuſque congerendis, vela darent ventis et ſpatia bundi in campum latiſſimum ſemet projicerent; iis *jus gentium* immenſum adeundum eſt. Inde deſumant deteriora evitantes, quae noſtrum juſtitiae ſyſtema et perfectius reddant et ornent atque illuſtrent. Quicquid praecellentiſſimum eſt de cunctis gentibus, flores ex hortu quovis amaeniſſimos, deſumamus ne pudeat, ſpatioſiſſimo in Edeno Americano noſtro plantandos atque colendos. Pervideamus diligentiſſime publicam quae *juſtitiam* et libertatem optime fovent atque ſtabiliunt; quaeque ſemina pravi in legum everſionem inoleſcunt, et quibus tandem ſaepe ſenatus atque fori judiciis et autoritate, ſaepius vero populorum et conſiliis ſapientiſſimis et energiis neve ſpernendis neve temere laceſſendis, peſſima tyrannis radicitus evulſa jacet, dum redintegrata jura et libertas reſtaurata effloreant.

VIDETIS idcirco, auditores, jucundiſſima legum ſtudia, non ſolum cauſidicis prodeſſe et iis qui uſui forenſi

forenſi dediti ſint; quinetiam omnibus utilia omni officiorum genere fungentibus; praeſertim magiſtratibus tum ſummis tum cujuſcunque ordinis inferioribus, necnon militibus, mercatoribus, iis qui ad res navales bellicas commerciales conſulendas evocati fuerint: vero utiliora magis *proceribus* reipublicae, immo exercitum *imperatoribus*, et OPTIMATIBUS noſtris illuſtriſſimis, populorum procuratoribus ad *Congreſſum Delegatis*, utique a Congreſſu ad aulas gentium exterarum *Legatis* utiliſſima.

Ad ea, quae jam ſupra dixi, licet addi leges inter gentes publicas, jura *pacis et belli*. Alicujus pluriumve regnorum, jura quaeſiviſſe interiora, alterum eſt; alterum autem publicas eas pernoſcere leges vel pactis vel conſuetudine et uſu ſancitas, ſecundum quas negotiationes ſive *politicae*, ſive *commerciales*, ſive *militares* inter gentes, et res publicas qua invicem a ſe independentes paciſci et adminiſtrari ſolent. Caeterum demumque his omnibus accedat oportet lectio illa multifaria atque aſſidua *hiſtoriarum politiarumque* jucundiſſima: unde homines ſtudioſi orbis ipſius ſapientiae imbuti et ſenatores et judices et viri, ad leges ſive in ſenatu ferendas ſive indijudicandis cauſis jus foro dicendas, apti idoneique extarent; porro ad magiſtratus gerendos et cujuſcunque generis legationes caeteraque negotia publica peragenda paratiores e gymnaſiis evaderent. Poſtea vero utrum publice anne privatim vivere lubet, praemia meritorum deportanto; vel iis decorentur honoribus, qui acuendae virtutis gratia inſtituti fuerunt; vel utilitatis curriculo et hominibus benefaciendo, nobi-

li quodam genere laudis gloriaeque eluceant; vel denique otium literarium cum dignitate ferunto, nunc libris pervolvendis, nunc elegantiſſima amicorum conſuetudine uſi. Ita nos denique juſtiſſime fungendis benigniſſimeque vitae civilis officiis, et caeteris opitulemur et nobis ſimus et amicis jucundi faelices atque beati.

De Theologia properante lingua eloqui neceſſe fuerit, ſiquidem res maximas brevitate dicier arctiori decuerit. De ſolo triuno Deo verſatur quoad eſſentiam perfectiones et conſilia ſua, de cujus et nominibus, et gloriis *Areopagita*, et *Contenſon*, et *Braunius Perkenſius*, et *Owenus*, caeteriq; notiſſimae famae theologi, volumina pia doctiſſimaq; ſcripſerunt. Eſt ſyſtema reſpiciens Deum, et conſilia de gloria ſua declarativa, tum ſanctitate intelligentium elicienda et faelicitate eorum, in eo qui ipſe eſt et ſui ipſius et entium omnium finis ultimus atq; ſupremus. Innumeros omnes ordines ſpirituales, ſine labe ſanctos credo et perfecte beatos, niſi quos ſoboles obruit protoplaſtes Adamus miſerrimaeque Satanae Phalanges. Alteris derelictis, hoſce miro amore Deus eterno amplectebatur, Ad reſtaurationem generis hominum, opus duplum eliciendum eſt *expiatio* delicti, animaeq; *renovatio* humanae. Facinore condonato menteque turpitudine mali et labe peccati depurata, et amore Dei imbuta, ii qui liberae gratiae monumenta extiterint, ſuaviſſima unione et ad Deum redeunt et e ſanctorum familia fiunt, beatitudine et gaudiis ineffabilibus fruituri. Celeriter tranſeundum eſt. Pauca tantum-modo principia curſim recenſeo, queis vero admodum

modum delectari ſolebam, quorum laudatione et admiratione nec aeternitas ipſa conticeſcet; neve iis canendis, eruore Dei redemptorum chori, neve ſecum ſeraphim collaudantes, generalem jungendo hoſannam in ſaecula ceſſabunt. Inter haec divinarum rerum principia cenſeamus. Trinitatem in monade illa ſacta triuni JEHOVAE, Deitatem veriſſimam filii virginis Deiparae IESU, Patris unigeniti gratiae pleni et veritatis: myſteria unionis LOGOU hypoſtaticae, ſive divinam inter humanamque naturam venerandi Theanthropou; ſacrificium crucis piaculare juge atque perenne, unica victima ſemel oblata, paenas vicarias ab emoriente Emanuele datas, paenas, inquam nec viribus humanis, nec ab homine niſi Deitate intus ſuffulto perferendas, viceque peccatorum toleratas atque perpeſſas:---praeterea gratiam in converſione efficacem, ſpirituſque irreſiſtibiles ſacroſancti energias mentibus illuminandis, et animabus noſtris tum evocandis tum regenerandis ſanctificandiſque;---denique juſtificationem per fidem, cauſa meritorum Ieſu, juſtitiaeque ſuae vicariae credentibus gratuito imputatae. Haec ſublimia aliaque meletemata theologica, plura quam ut cenſendo dinumerarem; haec, inquam omnia, utique moralia philoſophemata *naturalis* (ut dicitur) religionis, in ſacris Bibliis Theopneuſtois clare revelata traduntur. Praeſertim attoniti demiramur myſteria ibidem develata de *perſona*, de *amore*, de *paſſione* Ieſu. Revera *divinitatem* Chriſti et *ſatisfactionem*, columnales ego veritates judico, imo JACHIN et BOAZ Chriſtianiſmi, articulos ſtantis vel cadentis eccleſiae. Hiſce demptis, et ſpes noſtra lucis eternae cum ſublata, et ruit revelatio in

Platoniſmum

Platoniſmum degenerans; ardenti immortalitatis deſiderio manente optioneque tantummodo dubietate miſta, nulla vera ſpe peccatoribus relicta. Ordo rerum et regimen, ſive Dei adminiſtratio moralis, ſors generis humani, expectationeſque fortuitae immortalitatis, haec omnia caligine obruta, et anxia incertitudine obnubilata manebunt.

ATTAMEN cum Nazarenus amandus fide percipiatur magnus extitiſſe et revera eſſe divinus Emmanuel, (vel ut aiunt Arabes *ruach Allah ve kalemteh*, Spiritus Dei et verbum ejus) carne quamvis velatus, Deus autem nobiſcum altiſſimus adorandeſque; ſyſtema ſtatim illico certiſſimum veritatis elucet, indeque amota tenebrarum incertitudine pavoreque evaneſcente, aurora ſpei oboritur, dulciſſimam conſolationem humano generi afferentis. Omnibus perituris tunc peccatoribus, utique *Pilato* atque philoſophis, renuncietur licet *quid ſit veritas?* dulciſſima jucundiſſimaque veritas, nomine ut ore dicta fuit et illius dicenda, qui eſt *via veritas vita*; imo veritas illa, quae dulciſſimum vitae pabulum praebet animorumque tum ſitientium tum mannam caeleſtem ſapientium: quoniam ut *coelii* verbis utar patrum Ciceronis *Lactantii*, " nullus enim ſuavior animo cibus eſt quam cogni-" tio veritatis." Noſter quanto amore amplectendus eſt praeceptor doctorque divinus? nobis eſſe quam dulcia immo melle dulciora, illius et verba et documenta debent, qui gloriarum caeleſtium inanitione, ut ait apoſtolus, deſuper e fonte luminis e ſinu patris manſuete allapſus, ut nos ſapientia inſtitueret, et magnalia et conſilia Dei reconditiſſima nobis aperiret?

riret? utique letho ille ineundo liberationem a poenis neeis aeternae pro nobis deemeret-- ſatanae ſimul arcendo phalanges et illius imperium exitiale palam expoliando; quippe qui nec aliter deſpoliari poterat, ille ad trucidandum Ieſum ſuadendo et ſeipſum deſpoliavit.

QUAM mirabilia ſunt, quam ſtupenda myſteria crucis? Ecce homo! hominemne dixi? ecce Deus! en ſoligenitus patris in hoſtiam, ultroneo mactatu oblatus! Quantas eheu derisiones, quanta ludibria perferebat, ſpinis ut princeps coronatus, et purpura regis illudendi cauſa, amictus! eheu dolores crucis gemituſque lugubres emorientis Ieſu, quin et obductos tenebrarum Deique derelictionis horrores, a divino Amatore noſtro perpeſſos! eheu quanta nobis data redimendis poena? Amor quam ſuavis, miſericordia quam tenera quamque caeleſtis, cum *Eroos mou eſtaurothe*, ut ignatiane de *meo Amore crucifixo* eloquar?

THEOREMATA haec theologica, doctrinas haſce evangelicas, ubique per totam eccleſiam occidentalem et orientalem percrebuiſſe omniumque ſeculorum fuiſſe ac regionum, e conſpectu examineque hiſtoriae eccleſiaſticae univerſalis, certo ſcio. Diſſidia quidem de iiſdem inveniemus vel in antiquitate primaeva; ſed et ipſa diſſidia clariſſime arguunt, primitus illa dogmata inter inoleſcentes fuiſſe eccleſias. Eaſdem doctrinas per ſingula ſecula et alicubi reperiemus, ſive inter *occidentales* ſpectamus vel *pontificatum* vel *reformationem*; ſive inter *orientales* pervideremus conſociatos quatuor patriarchatus *Solymitanum*, *Antiochenum*,

num, *Alexandrinum* et *Conſtantinopolitanum*, item quinto *Moſcovium* graecae olim eccleſiae propaginem; hiſce adde patriarchatum ~~*Armenum*~~ *Coptum* quin et *Moſulenſem* reliquias ſyricas ſive chaldaicas, et aſſeclas Thomaſios *Malabarienſes* comprehendentem; immenſas adde quoque Abbatias eccleſiarum *AEthiopicarum* et *abyſſinarum*, quarum *Abunae* ſive eccleſiarchae, Papae Alexandrini commilitones ~~ſub~~ ſuffraganei eſſe dicuntur. Hae veritates ubique valuerunt inter eccleſias haſce ſive antiquas ſive hodiernas; utique inter eccleſias *Africae* temporibus olim *Auguſtini* florentes, caeteraſque in oriente graſſantibus Mahometiſmi armis jam diu deletas. Praeque temporibus concilii primi *nicaeni* viguerunt, veteribus ut in autoribus videre eſt. Nec haereſes vel ſecus de illis ſentientium ſectae ab *Irenaeo* aliiſque recenſitae ad numeros molere videntur; quin hoc ſyſtema fidei ſalutiſque gratuitae ubique ſparſim ac prae caeteris valuiſſe et nunc adhuc valere, partes octo inter pluresque decimati orbis totius Chriſtiani; haec ſe ita habere, non tantum judico, ſed me ſcire opinor.

Theologia eſt *theoretica* et *experimentalis*, eſt *practica* et *caſuiſtica*, eſt *didactica*, et *contemplativa*, caeterorumque titulorum, de quibus conticeſcit oratio: reſpicit praeſulatum paſtoralem, ſacramenta, et politiam, diſciplinamque eccleſiaſticam; e variis diſſidentium partibus, fit quoque *polemica* ſive eriſtica. Quandoquidem vero omnium gentium advenas et earum ſectas diverſe religioſas in ſinu noſtro Americano amplectimur et amplexuri ſumus, paratos, noſmet accinctum iri oportebit ad omnes diſceptandas

et

et diſquirendas controverſias eccleſiaſticas praeſertim *theiſticam*, (ſive ethnicam ut *Origenes* vocitaret) *hierarchicam pontificialem*. Idcirco *hiſtoriae eccleſiaſticae* aſſidue incumbendum eſt, eo praeſertim ut ſtudioſa juventus in rebus ſacris *eccleſiarum apoſtolicarum* eccleſiarum quoque *reformationis* et *Americae* probe imbueretur; ſaltem ut vir Dei et Antiſtes eccleſiae ad ſacerdotium paſtorale perfecte inſtructus fuerit. Perlecta hiſtoria Judaica, priorum trium ſeculorum hiſtoria evolvenda eſt, penituſque perſpicienda, *doctrina ſeu fides vere catholica, et quae ſit et ubi inveniatur?* de ritibus celebrandis baptiſmi, euchariſtiae ſive coenae dominicae, et ordinum inſtituendorum ſacerdotalium, ſcilicet, unicae cujuſdam eccleſiae congregationalis Ignatianae *epiſcopi* nempe *ſeniorum diaconorumque* ſacro in collegio ſive congregationis preſbyterio; item de cultu divino deque exercitiis hymnis precibus ſermonibuſque ſacris in ſanctorum conventibus offerendis: de diſciplina deque politia hierarchica; de Martyrum paſſionibus de perſecutionibus; denique negative, de pluribus rebus non id temporis adinveniendis. Poſtea inquinationes ut obortae ſunt et quo greſſu ad culmen faſtigii conſcendentes videantur; praeſertim *Epiſcopatus romani* augmentum ad Pontificatum totius mundi; et *Idolomania* ſeu cultus et adoratio diis immortalibus ſive angelis dicata, et diis manibus ſive defunctis animis dedita, manibus, inquam, vel heroum veterum, vel in mediis ſeculis ſanctorum inter divos mahuzzim relatorum et allocatorum et canonizatione beatifica papae repoſtorum, totidem uti cum Jeſu una mediatorum; quaſi ne unus iſque ſolus nobis mediator abunde infinitoque ſufficiens; quaſique gens hominum neve ratiocinio

ocinio neve dei mandato et auctoritate, a fructu vetito idololatriae depelli poterit. Diligenter item annotetur alia corruptio nefanda, congerendis ſanctorum meritis et in theſaurum, publicum, accumulandis ex quo juſſu pontificis depromuntur venundanturque in indulſitatibus et remiſſionibus ad ſublevandas animas redimendaſque tartaro excruciatas; quaſi ne Merita Jeſu infinito praetioſa ſufficerent. Terris ut precibus nos alterutris opitulemur ſacris jubemur eloquiis; non item ſive ſanctorum ſive angelorum preces in coelis erogare jubemur, immo vetitum nefas. Hujuſmodi impetrationes oratoriae ſunt baſis Idolomaniae ſive antiqae ſive hodiernae. Super his et aliis rei religioſae apicibus ſcripta *Medi*, *Jewelli*, *Moſheimi*, omniumque virorum doctiſſimi *vitringæ* legantur.

Cæterum operae praetium fuerit conſpectum acquiſiviſſe generalem quinque graecae eccleſiae patriarchatuum et minoris notae caeterum hodieque florentium, innovationeſque ſuas ſive a puritate apoſtolica aberrationes. Sed pede properante e tertio ſeculo ad periodum *Lutheri*, ad eccleſias tum *evangelicas* tum *reformatas* tum *ſemi-reformatas* progredimur. *Zuinglii*, *Calvini*, *Oeculampadii*, *Melanethonis* et *Puritanorum* labores videamus magnos et indefeſſos in redintegranda eccleſia eaque depuranda, reſtauranda-que ad primitivam rectitudinem. Feſtinanter autem ad *Americam* advenimus; illicoque videmus eccleſiam, virgineam ſponſam ſponſi divini, in eremo, peregrinantem inter virgines fatuas conſopitaſque; quae, licet iterum ſcortatae forſan, tamen ut Iſrael olim,

olim, fideles et caſtas ſe ſponſas haberi et exiſtimari vellent. Animadvertat hiſtoriarum lector, incolarum orbis ſi octoginta mille myriades hominum numerentur, triginta mille myriades Idololatriae dediti ſunt Pontificis auguſtiſſimi et eminentiſſimi LAMÆ ad POTOLAM hierarchiae prae omnibus ſplendidiſſimae ſedem: *Braminum* autem ſequaces quatuor mille myriades; Idolomaniae Pontificis Romani dediti ſunt etiam quatuor mille myriades vel prope tertia pars orbis chriſtiani.

Orbis totius incolae	80 mille myriades.
Lamae Pontificatus	30
Pontificatus Romanus	4
Orbis chriſtianus	13

Tantum addo, quoniam terris peregrinans ſemper alicubi puriſſima degit eccleſia; hiſtoriis igitur evolvendis perquiſiviſſe jucundum, quin et reperiiſſe perutile foret, quibus in terris et queis regionibus orbis, *eccleſia Chriſti et ſingulis aetatibus depaſta, et hodie, puriſſimo ſtatu efflореat?* Illiço mentis oculos ſaepe dirigamus, quid agant rogitemus, quam pie quam juſte quam benevole vivant, quanto amore Jeſum colant and venerentur? Fauſtis ne a coeptis deſciſcant pro iis oremus, et ſponſam Jeſu indeſinenter amemus. Haec de theologia dicta ſunto.

HAEC dicta peroravi, auditores, pro mea fandi mediocrate, pro exiguarum virium tenuitate mearum; nimis fortaſſe veſtro candore fretus et humanitate, quod imperitorum more et exterorum latinitate, non romano idiomate puriori eloquar, minimus qui ſim Italorum lingua diu deſueta verſatus.

PLURA

Plura dicerem, auditores, parata enim plura dicenda reſtant. Dixiſſe ſtatuiſſem, de republica amplificanda, de politiis inſtituendis, de re legiſlatoria, de bellica vertute atque gloria, de libertate civili togae ſcientiiſque amiciſſima. Dixiſſe vellem de honoribus ambiendis academicis et moribus rité laudateque efformandis, deque magnis et illuſtribus inter homines characteribus efficiendis, ad emulationem res magnas molientem accendendam, de officiis denique vitae civilibus ita fungendis, ut patriae et ſibi gloriam quis et emolumentum pariat et adipiſcatur. Hiſtoriolam rurſus edidiſſe juvaret, ſed ideo nunquam finiretur oratio, de academiis Europaeis et Americanis, quas oratione *ſemi-ſeculari* * quondam celebravi; deque collegio noſtro retro octo annis fundato et Septuaginta ab eo quo ejuſdem hodie Praeſulatum adivi; de patrono ſuo Yalensi, caeteriſque ejus maecenatibus atque benefactoribus; de munificentia coetus ordinum civilium auguſtiſſimi reipublicae Connecticutenſis tum liberalitate erga nos olim annua ſua aliiſque largitionibus, ſubſecivis, tum Immunitatum donatione Senatusconſulti autoritate conceſſarum, ampliſſimiſque datarum Diplomatibus privilegiorum jurium dignitatum, autoritatum, conſcriptis procerum nomine nobiliſſimorum: Necnon de Senatu academico et juventutis inſtructoribus, deque doctorum fructu praemiiſque laborum juvenibus erudiendis, unde *mille plus et quingenti* filii almae matris hujuſce in annis nedum octoginta numerati fuerunt, qui inter hoſce parietes academicos enutriti artibuſque

* A. D. 1752.

artibuſque imbuti liberalibus, ex Athenaeo noſtro laureati devenerunt. Dixiſſe ſtatuiſſem de Rectoribus Proeſidibuſque academiae, deque aliis Gymnaſiarchis ſocietatis hujuſce, quam etiam hodie patrocinio praeſidioque meo ſuſcepi atque ſuſcipio. Sed vetat tempus, vetat et patientia veſtra. Itaque finienda eſt oratio.

Gratulor vobis, audd. haec otia academica noſtra; Deus nobis haec otia fecit." Gratulor vobis reſtauratas vel in ſaeviſſimis hiſce belli temporibus renovataſque ſolenitates coenobii noſtri literarias. Gratulor vobis reditum academiae ab exilio aedibus illius priſtinis ſedibuſque reverſae amaenis. Faxit Deus O. M. ut tranquilitate commoremur diuturna placida ſimul et jucunda, horriſonis clangoribus periculiſque belli ne amplius turbanda. Et in hoc otio quo fruimur literario ingenua et ſtudioſa juventus, dilecti muſarum filii, in illa quam edidi Cyclopaedia penitus ampliſſimeque inſtituantur ut eruditione et urbanitate politi, e gymnaſii diſciplina viri diſcederent, ad agendas res maximas optime inſtructi, altiſſimas dignitates tum in eccleſiis tum in republica merito conſeendentes, ideoque literaturae praemiis et provectae tandem ut litatis gloria coronati effulgeant. Sideris itaque Yalenſis ſatellites, aemulatione laudabili *omothumadon* allaboranto, ut haec ſchola prophetarum, quamvis neve opibus neve praediis vectigalibus neve opimis, tamen caetera collegia *ſolaria* licet, literarum gloria ſuperaret: adeo ut univerſitas noſtra ſorores inter Academias eluceat, uti *luces inter luna minores*; neque nomine tantum

tum, sed assiduitate discendi, insignis moribusque pollendis amaenis, elegantissima denique praestantissimaque literatura promovenda, diu vigeat diutissimeque efflorescat.

FINIS.

BRITISH 20 JY 81 MUSEUM

7/22?/92